

Universitäts- und Landesbibliothek Tirol

De syntaxi Apuleiana

Leky, Max

Borna, 1908

6. De consecutione temporum

i, quin.

E comicorum sermone in Apulei transiit 'nequeo quin' Ap. 48; Flor. 17 (178, 23): nequeo, quin ex plurimis . . ex his plurimis quin attingam. cf. Plaut. Mil. 1342, Ter. Hec. 385. — Mirum est Apulei: obsistere quin Met. 9, 20 (Schmalz 423).

Sicut comici Apuleius quoque nonnumquam 'quin' adhibet ad gradationem. Met. 7, 9 quin ego censeo. Ap. 19 quin . . video (Ap. 66). Flor. 7 (153, 4) quin saepe solus. cf. Lor. ad Mil. 330 (Mil. 521, 1079, 1124, 1398) Quin domi eccam:

'quin' cum imperativo coni. comicorum fere est proprium; cf. Haul. ad Phorm. 223, Lor. ad Most. 172 quin me aspice. Hanc licentiam imitatur Met. 11, 29 quin . . laetum capesse gaudium . . et exulta.

6. De consecutione temporum.

Liberius, quam per optimorum scriptorum leges licebat, vulgaris sermo hac in re versabatur. Huius liberioris usus satis multa exempla Plautus nobis praebet. Pauca proferam: Pseud. 774 (Lor.) Orcus recipere ad se hunc noluit, Ut esset hic, qui mortuis cenam coquat; Cist. 168 observavit servos, quo . . haec puellam deferat; Amph. 195 praemisit, ut nuntiem (Trin. 15; Brix ad Capt. 1004, Lor. ad Mil. 131, Pseud. 774). Sicut coni. praesentis etiam coni. perfecti contra rem grammaticam adnectit temporum historico. cf. Amph. 745 audivi, ut urbem maxumam Expugnavisses regemque Sterelam tute occideris. Atque eandem dicendi incuriam hi loci Apuleiani prae se ferunt: Met. 2, 1 Ut primum . . sol novus diem fecit, . . reputansque me media Thessaliae loca tenere, quo artis magicae nativa cantamina . . celebrantur, . . considerabam. Met. 2, 13 at ille ubi primum consaviatus eum iuxtim se ut adsidat effecit. Met. 3, 11 nam et patronum scripsit et ut in aere stet imago tua decrevit. Met. 1, 7 Effeci, sequatur. Met. 5, 6 identidem monuit ac saepe terruit, nequando . . quaerat . . contingat. Ap. 44 misimus, qui eum curriculo advehat. Mund. Prooem. (p. 105, 7 G.) indignam se existimavit, cui . . deferatur. Plat. 1, 14 sed homini . . hoc datum est, ut . . promat oratio. Met. 4, 21 reputabamus merito nullam fidem . . repperiri, quod . . demigrarit. Met. 9, 9 promerent auctoramentum illud sui sceleris, quod . . furati . . pervaserint. Ap. 70 nihil metuerent; qualis vidua eis fuerit, talem nuptam futuram. — Permutatione temporum facta: Met. 5, 9 hocine tibi complacuit, ut sustineremus et . . degamus? Met. 9, 26 detestabatur uxorem . . quae maculasset iamque . . adsciverit. Met. 10, 7 quod se vocasset . . quod . . mandaverit, quod promisisset, quod . . sit comminatus, quod . . reddiderit, quod . . porrexerit. Ap. 27 quasi . . facere non liceat, quod . . liceret.